Et mersum mortis in imo me precor uiuifica.
Ac uiuificatum tua luce iam inlumina.
Gratis nam fecisti tu tua me misericordia.
Gratis flagito reforma denuo et resuscita.
Gratis tua dantur dona hinc dicuntur gratia.
Memento domine ds qui gignens ac genitus.
Ut es potens atque pius sic tu nihilominus.
Ante secla benignus mitis potens ualidus.
In quemcumque enim spiras statim hunc uiuificas.
Cum patre cum prole tonas regis et inluminas.
Gratiam cui uis donas solidas et uegetas.
Quos placet benigne uocas uocatos sanctificas.
Humiles pius exaltas et altos humilias.
Inmundosque quos uis mundas inpuros purificas.
Quid plura leprosos mundas impios iustificas.
Cum patre proleque cunctas quasuis interemptas.
Insuper et recreatas pariter glorificas.
Quemobrem te ds pie postulo humillime.
Cito mihi modo succurre cum patre cum sobole.
Et omni nimis infirme gratiam iam tribue.
Da per cor in te clamare abba pater domine.
Nec non atque ihu Christe simul quoque ro dicere.
Quin et te o flatus alme uocare humillime.
Da timere da amare da feruenter colere.
Patrem prolem atque da flatum diligere.
Toto corde tota mente tote necnon pectore.
Esto mihi timor ingens adque amor uehemens.
Diligam te nimis timens timeamque diligens.
Seruiamque contremiscens contremiscam seruiens.
Exue me pello meis domine flagitiis.

License: cc-by-nc – Bern, Burgerbibliothek, Cod. AA 90.1, 3v – Godescalcus Orbacensis: Carmen O mi heros
(https://fragmentarium.ms/view/page/F-1uz0/5188/49561)